

**Nota III.**° Praeceptum dupliciter edici potest; vel sub comminatione poenae, et vocatur *coactivum*; vel simpliciter obligando, et dicitur *directivum*. Thesis de praecepto directivo intelligenda.

215. Prob. 1.° ex Synod. Oecum. VI. «Praedicamus...» sequentem ejus humanam voluntatem et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subjectam divinae ejus voluntati. Oportebat (ēdet, necessum erat) enim carnis voluntatem moveri, subjici vero voluntati divinae, juxta sapientissimum Athanasium.»

Perspicue significat haec Synodi definitio, quod ratione superioris potestatis et jurisdictionis, ideoque ex obligatione subiciebatur Christus divinae voluntati: sed hoc spectat ad veri et proprii praecepti naturam; ergo veri praecepti fuit capax.

2.° In capite libri... *Deus meus, volui legem tuam in medio cordis mei* (1). Unde: voluntas, quae vim habet legis, est verum et proprium mandatum: sed Christus faciebat voluntatem Patris, quatenus habebat rationem legis: ergo etiam mandati.

Item: *Si praecepta mea servaveritis... Sicut et ego Patris mei praecepta servavi...* Unde: ipse Dominus asserit se obsequi praeceptis Patris, quemadmodum et nos debemus obsequi suis: sed nos subjicimur vere et proprie: ergo et Christus. Praeterea: ait, hanc suam obedientiam esse connexam cum dilectione, quemadmodum et nostra connectitur: sed nisi forent vera et propria praecepta non staret talis connexio: ergo.

3.° Christus adstringebatur lege naturali amandi Deum, non mentiendi, etc., etc. Sed lex naturalis habebat etiam erga Christum veram et propriam rationem praecepti: ergo.

Prob. *min.* Lex naturalis est divina, ideoque superior Christo ut homine: sed obligatio innixa lege superioris habet veram et propriam praecepti rationem: ergo.

Confirm. Dixit Christus (2): *Si dixerō quia non scio eum, ero similis vobis, mendax.* Sed si non obligaretur lege naturali, non fuisset mendax sicut alii: ergo.

216. Obj. 1.° Perfectius est et excellentius agere ex charitate quam ex obedientia: unde Christus dicitur ex charitate passus (3); *Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.* Ergo potius ex charitate quam ex obedientia egit Christus.

Resp. cum D. Thoma (4): «Eadem ratione Christus passus est ex charitate et obedientia: quia et praecepta charitatis ex obedientia implevit, et obediens fuit ex dilectione ad Patrem praecipientem.»

(1) Ps. XXXIX, 8, 9; Hebr. X, 7. — (2) Jo. VIII, 55. — (3) Eph. V, 2. — (4) Q. 47, a. 2, ad 3.

- Obj. 2.° Si Deus proprie aliquid Christo praeciperet vel prohiberet, intenderet ejus actionem vel omissionem esse illicitam; sed aliquam actionem vel omissionem Christi esse illicitam repugnat; ergo Deus intenderet chimaeram.

Resp. Dist. *min.* Repugnat absolute et de facto; conc. Conditionate et de jure; nego. Scilicet, evenire non potest ut actio aliqua a Christo posita sit illicita: id autem accideret, si praeceptum infringeret.

Obj. 3.° Nequit serio prohiberi quod est impossibile, vel praecipi quod est necessarium; si ergo non poterat Christus infringere praeceptum, neque imponi illi poterat.

Resp. Dist. *antec.* Nequit serio... si fuerit impossibile vel necessarium antecedenter ad praeceptum; conc. Si fuerit impossibile vel necessarium dependenter a praecepto; nego.

217. Obj. 4.° Impossibile est Christum omittere rem praecceptam, vel facere prohibitam; ideoque ejus obedientia non posset esse meritoria. Sed Christus meruit obediendo, sicut ad officium Mediatoris, et statum decebat viatoris: ergo veri et proprii praecepti non fuit capax.

Resp. Dist. *Maj.* Impossibile est antecedenter, seu defectu potentiae; nego *maj.* Impossibile est consequenter, id est, quatenus auxilia Christo collata non poterant non esse efficacia; concedo.

Etenim, ut supra diximus (Thes. XXXIV), debebatur Christo plenitudo gratiae, ideoque perfectiora ad agendum auxilia, id est, inter efficacia efficacissima. «Deitas regebat animam; unde non poterat peccatum attingere ad ejus animam.» ait D. Thomas (1).

Obj. 5.° Cum amore Dei necessario stare nequit libertas ad praeceptum strictum libere exequendum. Sed Christus ex visione beatifica necessario Deum amabat: ergo proprii et libere implendi praecepti fuit incapax. Resp. Dist. *maj.* Si praeceptum sit exequendum sub directione scientiae beatificae: concedo *maj.* Sin vero scientia infusa vel acquisita exequi possit; nego *maj.*: nam scientia ejusmodi non tollit voluntatis dominium et indifferentiam. Praeterea, nec voluntas necessario sequitur scientiam beatificam, nisi divinus comitetur concursus ad volendum, qui a Deo suspendi potest.

Alii AA. istam solvunt difficultatem dicendo: Christum quidem non fuisse liberum ut posset infringere praecepta; fuisse autem vere liberum, ut ea impleret ex tali vel tali actu, vel ex tali vel tali motivo, puta, fortitudinis, humilitatis, obedientiae, charitatis etc., et ita multimodis potuisse mereri in observantia praeceptorum, etiamsi ea infringere nullatenus posset.

(1) III Dist. 12, q. 2, a. 1.

Alias alii excogitaverunt conciliandi libertatem cum impeccabilitate rationes, quas videsis apud Auctores.

THESIS LVIII.

In Christo nec peccatum fuit, nec esse ullatenus potuit, non tantum de potentia ordinaria, sed nec de potentia absoluta.

218. **Nota:** impossibile de potentia ordinaria dicitur quod praestitudo divinitus ordini adversatur: quod autem in nullo possibili rerum ordine evenire potest, dicitur impossibile de potentia absoluta.

Pars prima est fide certa: secunda autem proxima fidei, et probabilis de fide: tertia est ita certa, ut sine temeritate et quadam impietatis specie non possit negari, ait Doctor Eximius.

Prima pars prob. 1.<sup>o</sup> ex Definitione fidei Synodi Oecum. VI. «Consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato.»

2.<sup>o</sup> Ex symbolo fidei Concil. Toletani XI. «In qua suscepta hominis forma, juxta evangelicam veritatem, sine peccato conceptus, sine peccato mortuus creditur, qui solus pro nobis peccatum est factus, id est, sacrificium pro peccatis nostris.»

3.<sup>o</sup> Ait Apostolus (1): *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Item, videas S. Petrum (2) et Isaiam prophetam (3).

4.<sup>o</sup> Christo debetur beatitudo ac plenitudo gratiae (Supra, Thes. XXXIV et XLII). Sed cum neutra stare potest peccatum: ergo nunquam peccavit.

Praeterea: Christus venit ut homines cum Deo reconciliaret (4), et exemplar et forma esset cui omnes assimilarentur (5). Sed his minime potuisset fungi muneribus, si peccatum admisisset: ergo in Christo non fuit peccatum.

219. II.<sup>a</sup> Pars prob. 1.<sup>o</sup> Concil. Oecum VI ait: «Oportebat carnis voluntatem... subjici divinae voluntati. Sicut enim ejus caro, caro Verbi Dei dicitur et est, ita et voluntas propria Verbi Dei dicitur et est.»

Ex quibus sic argues: ejus est velle, cujus est voluntas; ergo si voluntas carnis peccaret, Verbum Dei peccaret: sed hoc est aperte

(1) Hebr. IV, 15; VII, 26.—(2) I Petr. II, 22.—(3) LIII, 9.—(4) Hebr. VII, 26.—(5) Rom. VIII, 29.

absurdum. Confirm. Ex eadem radice Unionis hypostaticae deducit Concilium; «Velle illius, quod in Salvatore intelligitur, *deificatum est totum:*» ergo si velle Christi posset peccatum fieri, haberetur peccatum *deificatum totum*. Quod quam sit chimoericum, quis non videt?

2.<sup>o</sup> Hieronymus, in epist. ad Ctesiphontem, dicit: proprium esse Christi quod sit impeccabilis.

Chrysostomus ait (1). «Non pro se ipso. Quomodo enim pro se offerret cum impeccabilis sit.» Et Gregor. Naz. (2). «Christi voluntas, cum tota deificata sit, Deo proculdubio non adversatur.»

Tertullianus (l. de *Carne Christi*) respondens ad hoc argumentum; «Si nostram induit carnem, peccatrix est caro Christi;» ait: «Nostram induit, suam fecit, et suam faciens non peccatricem fecit.»

Augustinus quoque (3): «Natura humana... qualem Christus assumpsit... nullo peccato potuit depravari.»

3.<sup>o</sup> Probatur iisdem rationibus, quibus I<sup>m</sup> partem theseos, sub n.<sup>o</sup> 4.<sup>o</sup> confirmavimus.

220. III.<sup>a</sup> pars prob. 1.<sup>o</sup> ratione ex Conc. Oecum. VI in II.<sup>a</sup> parte theseos deducta.

2.<sup>o</sup> Ex dictis etiam sententiis Gregorii Naz. et Tertulliani. Augustinus (4) pariter Christi impeccabilitatem repetit immediate ab ipsa Unione hypostatica: ait enim: «Neque metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personae a Verbo Dei humana natura suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo ita suscepta nullum in se motum malae voluntatis admitteret.»

Ergo ab intrinseco, non autem ratione solius providentiae ordinariae, convenit Christo impeccabilitas.

3.<sup>o</sup> Humanitas Christi est formaliter sancta per ipsam gratiam unionis: sed repugnat esse simul peccato infectum et formaliter sanctum, sanctitate infinita. Ergo. *Maj.* patet supra (Thes. XXXIII.)

Praeterea, ut arguit Doctor Exim. adversus Durandum et Marsilium: si Christus per humanitatem peccaret, Verbum peccaret, Deus peccaret: sed est in hoc manifesta impietas et contradictio: ergo. *Maj.* patet ex superius dictis (Thes. XXX). *Minor* est aperta.

Item, Doctor Angel. ait (5): «Secundum quod fuit Deus, et anima ejus et corpus fuerunt quasi organum deitatis, secun-

(1) In ep. ad Hebr. VII, 27.—(2) Or. 36.—(3) L. 3, contra Maxim. c. 10.—(4) L. de *Correp. et Gratia* c. 11.—(5) III dist. 12, q. 2, a. 1.

»dum quod dicit Damascenus; Deitas regebat animam: unde non poterat peccatum attingere ad ejus animam, sicut nec Deus poterat peccare.»

221. Obj. 1.<sup>o</sup> Dixit Christus Dominus, ore prophetae: *Deus, Deus meus... longe a salute mea verba delictorum meorum* (1).

Resp. In hebraico textu legitur: *Verba rugitus mei*, non autem *delictorum meorum*. Scilicet, deprecabatur Christus magno cordis affectu ut transiret, si fieri posset, calix ille; cum autem mori necessum esset, dicebat ad Patrem: *Longe a salute mea...* vel respondeas, si mavis, ut in sequenti objectione.

Obj. 2.<sup>o</sup> Cum per prophetam de Christo Deus loqueretur, ait: *Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga* (2)... Ergo peccato fuit obnoxius.

Resp. Respiciunt verba haec, sensu literali, Salomonem, qui figura Christi fuit. In sensu autem spirituali ad Christum in suis spiritualibus membris spectabant, ut facile patebit si conferas alium parallelum locum (3); ubi de eadem re explicatio est sententia. Etenim Christus nostra delicta, volens pro iis satisfacere, sua fecit; ideoque cum inique agimus, ille veluti inique agit; et cum ab eo Deus poenas exquirat, dicere illi potest: *longe a salute mea verba delictorum meorum*.

#### THESIS LIX.

In Christo Domino fuerunt, ab initio conceptionis, infusae omnes virtutes; sive quae dicuntur infusae per se, sive genere suo acquisite seu infusae per accidens.

222. Nota I.<sup>o</sup> De illis loquimur virtutibus, quae nullam supponunt imperfectionem: sic, ex. gr., fides versatur circa objectum obscurum; poenitentia supponit peccatum admissum, ut auctores aliqui putant.

II.<sup>o</sup> Virtutes *per se* infusae versantur, natura sua, circa objectum supernaturale, vel, saltem, quatenus supernaturali modo attingendum; qua de causa acquiri nequeunt, sed debent infundi.

I.<sup>a</sup> Pars probr. Virtutes infusae, ut supponimus ex tractatu de *Gratia et Virtutibus*, simul cum gratia infunduntur tamquam ejusdem proprietates. Atqui, ut supra dictum est, Christus habuit plenitudinem gratiae: ergo et virtutes.

Deinde: nullo modo decebat ut membra perfectiori agerent modo, quam caput et exemplar praedestinatorum et totius supernatu-

(1) Ps. XXI, 2.—(2) II Reg. VII, 14.—(3) Ps. LXXXVIII, 31.

ralis ordinis: ergo si justis omnibus virtutes infunduntur supernaturales, ut, connaturali modo, actus perficiant ordinis ad gratiam spectantis; id de Christo potius dicendum est.

223. Obj. 1.<sup>o</sup> Ratione unionis hypostaticae debebantur Christo omnia auxilia gratiae quibus supernaturaliter ageret: ergo inutiles erant habitus infusi ad hoc, ut actus eliceret supernaturales.

Resp. dist. *ant.* Debebantur Christo omnia auxilia tum actualia et transeuntia, tum habitualia; conc. Transeuntia tantum; nego. Nam cum justis habitus infundantur, ut connaturali modo operentur supernaturaliter, haec supernaturalis habitudo et facilitas Christo deesse non poterat.

Obj. 2.<sup>o</sup> Spes pro objecto habet beatitudinem, tamquam bonum arduum assequendum, et bona cetera ad beatitudinem spectantia; puta, auxilia gratiae, corporis gloriam, etc. Sed Christus beatitudine fruebatur, et quoad alia bona nullum sibi arduum ac difficile apprehendebat. Ergo non habuit infusum habitum spei.

Resp. Dist. *maj.* Spes habet pro objecto *adaequato*, seu quoad omnes suos actus, beatitudinem... Nego *maj.* Quoad aliquos actus, et prout a viatoribus communiter exercentur: conc. *maj.* Etenim universalissima ratio formalis spei consistit in eo, quod Deum attingat ut sibi bonum, id est, speranti; charitatis autem, ut illum propter se, seu ut in se bonum, prosequatur. Ita D. Thomas (1). Proinde, licet jam Christus Deo frueretur, licet nihil ei arduum foret, nihil id obstat quominus habitum haberet spei.

224. Quoad virtutem poenitentiae putant nonnulli Auctores, objectum ipsius specificum esse peccata *sua* deflere seu compensare: quod si concedatur, in Christo haec virtus esse non potuit. At Suarez putat, non esse *poenitentiam habitum* a virtute *justitiae* diversum: sed ipsam justitiam, quatenus tendentem ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam: ita sane virtus *poenitentiae* perfectissima in Christo fuit, qui pro peccatis omnium satisfacere clementer voluit, ut infra dicitur.

225. II.<sup>a</sup> Pars prob. 1.<sup>o</sup> Virtutes naturales, seu ex genere suo acquisite, sunt magnum humanae naturae bonum, imo maximum bonorum nostrae naturae, ut docet D. Angelicus (2): ideoque et Adae, a prima sua existentia, datae fuere (3). Atqui, ut saepe dictum est, assumpsit Christus naturam perfectam, et, ut ajunt PP. quidquid in humana natura plantavit: ergo.

2.<sup>o</sup> Affectuum moderatio, id est, eorum rationis regimini subiectio, perfecta erat in Christo (Thes. LII): atqui haec moderatio con-

(1) 2, 2, q. 17, a. 6.—(2) Q. Q. Disp. q. de Virt. a. 9, ad 7.—(3) V. Suarez, *de oper. sex. dier.* l. 3, c. XI.

naturaliter fit per virtutes, quae facilitatem voluntati tribuunt ut sequatur rationis ductum; ergo convenienter ab initio virtutes omnes fuerunt Christo infusae.

3.º Sicut motus naturales corporeos exercuit Christus, ita et motus naturales animi elicuisse non est dubitandum; uti connaturalem habuisse affectum misericordiae, desiderium naturalis iustitiae, etc. Ergo decebat quoque habere Christum habitus naturales harum virtutum, quibus actus illi perfecte exercentur. Subsumo: atqui ab initio existentiae erat proxime dispositus ad tales virtutum actus: ergo ex eo tempore habitus quoque suscepit, quibus non solum bene, sed virtuose ageret.

Confirm. Ideo scientiam *per accidens* infusam habuit Christus (Thes. LV), ne illa formali careret perfectione: ergo a pari, neque carere debuit formali perfectione naturalium virtutum.

226. Obj. 1.º Virtutes infusae continent, eminenter, naturalium virtutum perfectionem: ergo inutiles in Christo hujusmodi erant.

Resp. dist. *ant.* Quoad perfectionem objectivam; conc. Subjectivam; nego. Nam infusae virtutes praebent *posse*, seu potentiam ad objectum supernaturale attingendum: acquisitae autem *facilitatem et delectationem* tribuunt in agendo, *posse* autem supponunt.

Obj. 2.º *Major* est perfectio acquirere sibi virtutes, quam eas infusas accipere. Ergo non fuerunt Christo infusae.

Resp. dist. *ant.* Si tunc infunderentur cum per se ipsum potest homo illas acquirere; conc. Si antea infundantur quam acquiri possint; nego. Melius est enim numquam illis carere, quam eas desiderare donec per exercitium tandem acquiri valeant.

Obj. 3.º Vel perfecit Christus virtutem suam bene agendo, vel non: si primum; ergo aliquid virtutis acquisitae et non infusae habuit: si secundum: ergo carebant in Christo actus perfectissimae virtutis ea efficacia, quae eis connaturalis existit, perficiendi, scilicet, habitum virtutis.

Resp. Concedo, minime adjecisse Christum perfectionem et augmentum virtutibus ab initio sibi infusis; non quidem propter actuum inefficaciam, sed propter virtutis plenitudinem, quae fuit semper, qualis Christum decebat, infinita quodammodo. Ideo Basiliius, (in ps. 44) ait, hanc fuisse differentiam inter Christum et alios homines, quod alii *«labore et exercitatione haec assequuntur. »Christo autem naturalis est ad boni prosecutionem proprietas, et ad «iniquitatis jugam familiaris alienatio.»*

## THESIS LX.

In Christo fuerunt omnia Dona Spiritus Sancti, etiam donum timoris.

227. Nota I.º Dissentiunt theologi circa Donorum Spiritus Sancti naturam; an, nempe, a virtutibus infusis distinguantur, necne. Supponimus cum D. Angel. et D. Eximio, distingui, et nihil esse aliud quam habitus quosdam, quibus redditur homo facile mobilis ad operandum ex inspiratione Spiritus Sancti.

Nota II.º Donorum Spiritus Sancti quatuor ad intelligentiam pertinent, tria autem ad voluntatem: priora sunt *intellectus, sapientia, scientia et consilium*; posteriora vero *timor, pietas, fortitudo*. Quid hujusmodi dona sint non est hujus loci disserere; dicimus autem id quod significatur esse in Christo.

228. Prob: 1.º Illis Isaiae verbis (1), scil.: *Et requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis; et replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Sermonem autem esse de Christo, constat ex contextu, et ex Act. Apost. (2), et ex Apostolo ad Rom. (3), et aliis Nov. Testamenti locis, et communi PP. interpretatione.

2.º Ex SS. Patrum doctrina, Dona Sp. Sancti comitantur gratiam et sunt omnibus justis communia: ergo et in Christo perfectissime inveniuntur, cum habeat plenitudinem gratiae et Spiritus Sancti.

3.º Hieronymus, illum Isaiae exponens locum, non tantum de Jesu Christo intelligendum docet, sed quod a Christo in alios omnes haec effundantur dona. «Absque Christo igitur, nec sapiens quis esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timoris Domini.»

4.º Denique quod spectat ad donum Timoris probatur ex damnatione erroris Abelardi, qui dicebat; «Quod in Christo non fuit donum timoris.» Quem errorem, cum aliis, damnarunt Concilium Senonense et Innocentius II (an. 1140).

229. Obj. 1.º Consilium habetur post inquisitionem de agendis. Sed Christus absque ulla inquisitione evidenter sciebat quid semper agendum; ergo dono Consilii non indigebat.

Resp. Dist. *maj.* Semper et necessario; nego *maj.* Communiter et per accidens; conc. Communiter enim non sine difficultate et obscuritate de agendis judicamus, ideoque inquisitio aliqua praecedat oportet: id autem aliquando non accidit apud sapientiores, et prudentiores; in Christo vero numquam.

(1) XI, 2, 3.—(2) XIII, 23.—(3) XV, 12.

Obj. 2.<sup>o</sup> Timor respicit malum futurum vel imminens: atqui sciebat certissime Christus nullum animae suae malum vel culpae vel poenae imminere; ergo Timoris dono caruit.

Resp. Dist. *maj.* Timor, qui est passio sensilis; conc. Timor spiritualis; subd. Quoad substantiam seu essentiam timoris, nego *maj.* Quoad aliquos effectus; conc. *maj.* Scilicet, si executio mali apprehendatur simpliciter possibilis, ad affectum fugae concipiendum sufficit: ut autem perturbationem timor inducat, vel ad media adhibenda impellat quibus malum impediatur, hoc tamquam imminens apprehendi debet.

Ad *min.* dicimus; transeat. Nam praeter timorem culpae vel poenae, est timor reverentialis in humilitate immediate innixus. Timor, ut Augustinus et Gregorius M. docent, superbiae opponitur, et humilitas illum parit. Habebat autem Christus affectum summum humilitatis, id est, praeferendi in omnibus honorem divinum suo: hinc perfectissimus oritur reverentiae motus per modum fugae, quo humilis, in conspectu divinae Majestatis, veluti non audet ad illam accedere, et cavet sibi aliquid excellentiae et honoris illius usurpare, et fugit investigare vel comprehendere mirabilia ejus. Sic S. Hieronymus (1) dicit, alas Seraphim quibus se velabant, significare «Sacram illam ac plenam horrore veneratio-»nem, qua sancti celsiorem mysteriorum indaginem perhorrescunt.»

Obj. 3.<sup>o</sup> Christus, videns intuitive divinam Majestatem, ad plenam et necessariam reverentiam et subjectionem eidem tribuendam trahebatur: ergo nullam possibilem irreverentiam apprehendere poterat.

Resp. Conc. *antec.* et nego *consequentiam.* Praeter scientiam beatificam, aliam quoque infusam, ut supra dictum est, Christus habebat de divinis excellentiis: illa sane necessario voluntatem trahebat ad amorem et omnimodam reverentiam: haec vero minime. Ideoque per scientiam infusam poterat Christus liberos affectus tum amoris, tum humilitatis et reverentiae concipere.

#### THESIS LXI.

Christus D. nullam habuit imperfectionem moralem, nec habere potuit.

230. **Nota** I.<sup>o</sup> Aliud est agere minus perfecte moraliter, aliud autem agere imperfecte; illud solum significat imperfectionem ne-

(1) In Isai. VI.

gativam, posterius autem positivam. Sane B. V. Maria minus perfecte moraliter quam Christus agebat, non tamen erat imperfecta, aut imperfecte operabatur.

**Nota** II.<sup>a</sup> Quid sit imperfectio moralis positiva, non omnes auctores eodem explicant sensu. Vera notio illa videtur, quam Ripalda, Suarez (1) et alii tradunt: agere contra consilium Superioris, seu contra voluntatem Dei propositam ut regulam agendi, non quidem obligantem ad culpam, sed significantem ei placitum id quod proponit, non placiturum aut minus placiturum contrarium.

Imperfectio autem negativa erit, si quis, non stante Dei consilio, eligat actum minus perfectum; puta, agat ex motivo misericordiae, potius quam charitatis.

Thesis intelligitur de imperfectione morali positiva.

231. Prob. I.<sup>a</sup> pars. 1.<sup>o</sup> Dixit ipse Christus (2): *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Quae placita sunt ei, facio semper.* Sed non ita fecisset, admissa morali imperfectione.

2.<sup>o</sup> Christus datus fuit hominibus in exemplum et regulam moralitatis et perfectae sanctitatis: sed non fuisset ejusmodi, si imperfectionem moralem habuisset. Ergo omni caruit imperfectione.

3.<sup>o</sup> De B. Virgine M. concedunt theologi, semper fecisse quod magis Deo placebat; et multi Sanctorum ad hanc conabantur perfectionem, et voto etiam ad id se adstringebant. Sed non est putandum Christum, exemplar Sanctorum omnium, minus praestitisse, vel volentem et conantem ad illum perfectionis gradum non attigisse. Nam, uti dictum est, fuerunt in Christo, ab initio conceptionis, virtutes omnes in perfectissimo gradu et omnia Sp. Sancti dona quibus anima redditur facile mobilis a gratia: ergo perfectissime egit.

232. Prob. II.<sup>a</sup> pars. 1.<sup>o</sup> Si proposito Dei beneplacito et consilio, Christus contra illud ageret; in hoc actu non subjiceretur divinae voluntati, sed potius resisteret. Sed hoc fieri nequit; «Oportebat carnis voluntatem subjici divinae voluntati;» ait Conc. Oecum. VI. (supra n. 215).

Confirm. «Velle Christi *Deificatum est totum*», uti docet idem Concilium. Sed repugnat actum displicentem divinae voluntati esse totum Deificatum, vel actum ita Deificatum aliquatenus Deo displicere: ergo repugnantiam implicat in Christo imperfectio quae libet.

2.<sup>o</sup> Nequit accidere Christum imperfecte agere, nisi gratia effica ei desit ad majus Dei beneplacitum exequendum. Sed Christo

(1) *De Incarnat.* D. 37, Sec. 3.—(2) Joan. VI, 38; VIII, 29.

deesse auxilia efficacia non possunt ad perfecte divinam faciendam voluntatem: ergo. *Min.* prob. Christo data est plenitudo gratiae, idque ei debetur jure filiationis divinae; *Omnia dedit ei Pater in manus* (1). Sed non habuisset plenitudinem gratiae, neque dedisset ei omnia Pater in manus, si non concessisset gratiam efficacem ad imperfectionem cavendam: ergo nequibat imperfecte agere.

3.<sup>o</sup> Gregor. Nazianz. (2) ait: «Christi voluntas, cum tota »Deificata sit, Deo procul dubio non adversatur.»

4.<sup>o</sup> Perfecta sanctitas nihil exprobrationis dignum patitur. Sed Christus ejusque actus omnes sunt perfecte sancti: ergo nihil imperfectionis, seu exprobrationis dignum habent. *Min.* patet ex natura sanctitatis Christi supra vindicata (Thes. XXXIII et XXXIV): sanctificatur namque Christus formaliter ipsa Deitate.

233. Obj. Magis Deo placet ut semper agatur id quod est perfectius: ergo ut vitaret Christus omnem imperfectionem positivam, debuit quoque cavere omnem imperfectionem negativam.

Resp. Dist. *antec.* Id quod est perfectius ratione modi volendi; conc. Id quod est perfectius ratione rei volitae; nego.

Deus perfectissime vult et agit; non tamen tenetur velle et agere quidquid est optimum. Christus autem clare sciebat quid magis Deo placebat, quidve suae voluntati, beneplacito aequali, permittebat: omnia quidem Christus perfectissime exequabatur, explendo omnem virtutem et gratiam sibi ad singula opera traditam; ad opera autem objective et specificè perfectiora nullatenus a Deo inducebatur.

Inst. Conari nos oportet ad agendum id quod est positive perfectius; puta ad actum charitatis potiusquam spei, justitiae potiusquam temperantiae: ergo et Christum ita egisse oportebat.

Resp. Concesso *antec.*; nego paritatem et *consequentiam*.

Etenim Christo Domino, ratione solius Unionis hypostaticae, debebatur plenitudo gratiae et gloriae: et singula ejus opera, cujusvis forent naturae, erant infinite meritoria et perfecta. At nostrae operationes, cum limitatae sint perfectionis, si nobilioris virtutis attingant motivum, et Deo magis grata ac gloriosa, et nobis multo magis meritoria existunt: hac de causa nos conari oportet ad actus nobiliorum virtutum.

#### THESIS LXII.

In Christo plenissime fuerunt gratiae miraculorum et prophetiae, et ceterae omnes gratiae gratis datae.

(1) Jo. XIII, 3.—(2) Orat. 36.

234. Nota I.<sup>o</sup> Gratiae gratis datae dicuntur operationes illae supernaturales, quae ad fidei confirmationem et ad aliorum, potiusquam ad operantium, profectum fiunt; scilicet; ut ii, quibus fides proponitur, ad eam amplectendam inducantur. Novem genera harum gratiarum communi DD. sensu enumerantur, quae apud A. Doctorem descripta videas (1).

Nota II.<sup>o</sup> Christum D. gratia miraculorum fuisse ornatum, fides docet (Vide supra Thes. IX); item et dono prophetiae (ibid. Thesis VII). Generatim autem probamus thesim:

235. 1.<sup>o</sup> Ex Augustino (2) argumentante; quia sicut «In »nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus »quantus in capite, ubi prorsus omnis est quinque partitus; ita in »quolibet quamvis praecipuo membro, velut in aliquo magno propheta aut apostolo, quamvis divinitas habitet, non tamen, sicut »in capite quod est Christus, omnis plenitudo divinitatis.» Et alibi (3): «In ceteris membris non sentis nisi tactu... In capite autem »et vides, et audis, et olfacis, et gustas, et tangis. Si tanta excellentia est capitis ad membra cetera, quanta excellentia est in capite universae Ecclesiae, id est, illius Hominis, quem voluit Deus »mediatorem inter Deum et homines?» Jam vero Sp. Sanctus gratias gratis datas dividit in membra Christi, uti corporis operationes in ejusdem membra dividuntur (4): ergo in Christo tamquam in capite omnes simul existunt gratia istae.

2.<sup>o</sup> Christus unctus est Spiritu Sancto, non tantum ad sui sanctificationem, sed ad evangelizandos etiam et sanctificandos omnes (supra, Thes. VI); *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me* (5)... Atqui ad sui sanctificationem accepit plenitudinem Spiritus Sancti, id exigente Unionis hypostaticae dignitate: ergo eandem plenitudinem accepit ad munus evangelizandi et alios sanctificandi perfecte explendum.

236. 3.<sup>o</sup> Si caruisset Christus aliqua gratia gratis data, cum aliqua limitatione accepisset Spiritum nec omnia habuisset in manu ad verbum Dei fructuose praedicandum. Atqui *non ad mensuram dedit Pater Spiritum Filio ut verba Dei loqueretur, et omnia dedit in manu ejus* (6): ergo.

4.<sup>o</sup> Confirm. Quoad donum Miraculorum, et Prophetiae, supra diximus. Quoad gratiam sanitatum, Evangelium etiam testatur. Donum linguarum, interpretationem sermonum, discretionem spirituum, sermonem sapientiae et scientiae, fuisse in Christo, clare patet (ex Thes. LIV et LV); cum enim omnem naturalem et superna-

(1) I, 2, Q. 3, a. 4.—(2) Epist. 187, n. 40 (Migne).—(3) In ps. 29, n. 2.—(4) I Cor. XII, 11.—(5) Luc. IV, 18.—(6) Jo. III, 34, 35.

turalem haberet scientiam infusam, iis donis sane non carebat. Quoad fidei donum, quo venit illa firmissima certitudo ad edocendum et suadendum apta et efficax, obscuritate quidem excepta, eminenter comitabatur scientiam beatificam Christi et infusam.

237. Obj. 1.<sup>o</sup> Cognitio fidei est imperfecta et obscura: ergo haec gratia non fuit in Christo.

Resp. Fides est speciale donum, ratione majoris certitudinis a Spiritu Sancto procedentis: non ergo materialiter, sed eminenter tantum fuit gratia ista in Christo.

Obj. 2.<sup>o</sup> Prophetia versatur circa ea quae distant ab statu prophetantis, et cum aliqua eidem proponitur obscuritate. Atqui Christo haec non congruebant: ergo nec prophetia.

Resp. dist. *maj.* Prophetia versatur... essentialiter et objective, seu inspecta natura habitus: nego *maj.* Per accidens, et ratione subjecti; conc. *maj.* Obscuritas quidem in lumine prophetico Christi nulla erat: statum autem viatoris habebat, ideoque, ex hoc capite, alia prophetantis solita circumstantia non deerat Christo.

### THESIS LXIII.

Christus D. non solum morali modo, sed etiam reali et physico, operatus est miracula, seu opera supernaturalia, per actiones suae humanitatis.

238. Nota: aliqui DD. ut Scotus, Durandus, etc. existimant actione solum morali, vel tamquam causam occasionalem, fecisse Christum supernaturalis ordinis effectus: veram autem et physicam efficientiam ad Deum tantum spectasse. At oppositam tuemur probabiliorem sententiam cum Doctore Angel. et D. Eximio, et aliis communiter ejusdem Scholae auctoribus.

Prob. 1.<sup>o</sup> Scriptura de Christo homine ita loquitur, tamquam virtutem et potestatem habente miraculosa opera faciendi. Sed potestas faciendi hujusmodi opera, per se et simpliciter loquendo, est potestas realis et physica: nam talis debet esse potestas, qualia sunt ipsius opera et effectus; morales effectus respiciunt potestatem moralem, physici autem physicam. Ergo physice Christus operatus est miracula.

*Maj.* patet: nam legitur (1): *De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo.* Et rursus (2): *Jesum a Nazareth; quomodo unxit eum Deus Sp. Sto. et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando...* Sane quod, tamquam

(1) Luc. XXIV, 19.—(2) Act. X, 38.

*Deus*, unctus fuerit *virtute* ad patranda miracula, est aperte absurdum: accepit ergo eam virtutem *ut homo*.

Ipse Christus de miraculis, tamquam vere et physice a se effectis, aperte loquebatur. Etenim Judaei scandalizabantur et murmabant quod sabbatum violaret operando miracula: sane si solus Deus ea effecisset coram vel orante Christo, non solum illum calumniabantur ut hominem, sed etiam virtutem et opera et gloriam soli Deo debitam ei tribuebant. Quid ergo Dominus? Numquid negavit se vere et physice operari? Numquid gloriam, veluti sibi falso et sacrilege concessam, recusavit? E contra, aperte factis et verbis fassus est opera illa se vere facere, neque ideo sabbatum violare. *Unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum a praesepio, et ducit adquare? Qui habeat ovem unam, et si ceciderit haec sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam? Quanto magis melior est homo bove? Itaque licet sabbatis benefacere.*

Confirm. *Non possum ego a me ipso facere quidquam... Opera quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me* (1). Jam vero loqui Christum ut hominem, perspicuum est. Atqui facere et perficere opera, plus significat quam simpliciter orare ut fiant. Ergo non tantum moraliter, sed physice ea opera efficiebat.

Item: *Ecce vir plenus lepra, et videns Jesum, et procidens in faciem suam, rogavit eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum dicens: volo mundare;* (2) Unde:

Rogavit Eum leprosus *ut hominem*; tribuit Eidem non tantum potestatem orandi, sed *mundandi*: Christus ejus fidem confirmavit.

Denique *Omnis turba* quaerebat eum tangere, quia virtus de illo *exibat et sanabat omnes* (3). Atqui aliud est virtus sanans, aliud oratio impetrans sanitatem: ergo. Et sane, Christus D. eam turbam credulitatem non correxit, sed confirmavit potius, actiones humanas adhibendo extrinsecus ad miracula perficienda; ut tangere linguam muti, immittere digitos in aures surdi, linire oculos caeci luto ex saliva confecto, etc. etc.

239. 2.<sup>o</sup> S. Cyrillus, in *Exeges.* ad Valer. Episc., ait: «Carnem Christi, quia vivificantis Verbi propria facta est, actionem ejus participasse.» S. Chrysostomus notat (4): non dixisse leprosum, «*Domine, si oraveris, sed si vis*; omnia ejus arbitrio et potestati committens. Quid igitur, inquires, si falsa erat opinio leprosi? Illam confutare oportuit, ipsumque increpare et corrigere. Num igitur illud fecit? Nequaquam; imo dictum confirmat et roborat,

(1) Joann. V, 30, 36.—(2) Luc. V, 12, 13.—(3) Ibid. VI, 19.—(4) Hom. 25 vel 26 in Matth.